

**I. CONFIRMATIO ARTICULORUM PER CONSILIARIOS
ET NOBILITATEM DUCATUS MASOVIAE OBLATORUM**

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus, Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviaeque etc. dominus et heres, significamus tenore praesentium quorum interest vel interesse poterit universis, quod cum in conventu proximo Warschoviensi praelati et proceres regni nostri ordinis utriusque consiliarii ex mandato et commissione nostra super uniendo ducatu nostro Masoviae corpori regni cum primoribus officialibus et nuntiis terrarum ducatus praefati tractassent et mutuas hincinde allegationes et responsiones super negotio unionis praefatae fecissent ipsosque subditos ducatus nostri Masoviae ad unionem velut membrum corpori regni bonis rationibus induxisserent, acceptis ab eisdem certis articulis infrascriptis, quos per maiestatem nostram illis confirmandos promiserunt supplicaruntque nobis praefati regni nostri consiliarii et terrarum nuntii, ut cum res ipsa unionis in praefato conventu sub absentia nostra sit transacta, eam ratam et gratam habere dictosque articulos et in eis contenta per ipsos consiliarios nostros in conventu susceptos pro bono subditorum nostrorum ducatus Masoviae approbare et confirmare dignaremur, et proinde praefatorum consiliariorum precibus inducti et acclinati, articulos praefatos et in eis contenta approbare, ratificare et confirmare eisque perpetuae firmitatis robur apponere duximus, quorum series talis est.

Imprimis omnia onera antiqua, videlicet census, contributiones omnes nuptiales, terrarum emptionis et redemptionis, ducum captivorum redemptionis et alias omnes contributiones, servitia ac labores castrorum et pontium et universos redditus antiquos, quibuscumque appellentur nominibus ad quos ante nobiles ducatus Masoviae erant obligati dominis suis ducibus ex privilegiis terrestribus et quibusvis ordinationibus privatis et publicis de omnibus bonis hereditariis et possessionibus eorum in toto ducatu Masoviae, praesentium per tenorem extinguimus, deponimus et abrogamus perpetuo et in aevum.

Item omnia iura, privilegia, donationes, consuetudines, libertates, praerogativas et concessiones omnes omnium nobilium et quorumvis subditorum nostrorum in ducatu Masoviae tam publice quam private, iuste et legitime datas et emanatas, in quorum seu quarum erant possessione pacifica in vita ducum et dominorum suorum, confirmamus et in robore conservamus perpetuo.

Item omnia statuta terrestria eiusdem ducatus, consuetudines et articulos quoad iudicia terrestria et castrenzia in omnibus causis, controversiis et rebus quibuscumque in suo ordine antiquo, statu, tenore et consuetudine conservamus et confirmamus iuxta antiquam eiusdem ducatus consuetudinem, quibus non debent derogare novae constitutiones regni perpetuo.

Item causae omnes nobilium et quorumvis subditorum nostrorum ducatus Masoviae ad nostram Maiestatem et conventum regni per appellaciones et quovis alio modo devolutae iudicari non debent alio iure et modo, solum consuetudinibus et iure ipsius ducatus, quibus omnes subditi in eodem ducatu ab antiquo gaudent et iudicantur. Appellationesque huiusmodi fieri et servari debent iuxta veterem consuetudinem in terris Masoviae semper servari solitam.

Item nobilitas et subditi omnes nostri in ipso ducatu nihil aliud nobis solvere tenebuntur, nisi prout nobilitas Maioris Poloniae solvere consuevit, de qualibet *wloka* seu laneo agri locati et possessi duos grossos census alias *poradlne*, praeter eos, qui habent iura censum non solvere aut etiam, qui minus quam duos grossos solvere conseruerunt, hi in iuribus eorum conservari debent.

Item commissiones nostrae, excepta nostra regia et officii causa, non debent dari et tradi ad ducatum Masoviae, solum in duobus casibus, videlicet pro divisione inter fratres et sorores germanas, ac quoscumque alios propinquos et affines facienda et pro limitibus inter bona regalia et nobilium seu quorumvis aliorum subditorum.

Item nullae contributiones et exactiones in ipsum ducatum Masoviae, nisi communi consensu et decreto conventus generalis, imponi et constitui debent.

Item iudices ducatus ipsius non debent evocari et trahi ad Maiestatis nostrae tribunal pro male iudicato contra consuetudinem ducatus ipsius. Nam a sententia iudicis liberum est in ducatu Masoviae unicuique appellare ex terminis communibus ad terminos generales et ex terminis generalibus ad conventionem generalem iudicariam in eodem ducatu et ex conventione ipsa ad

conventionem regni. Similiter et nobilitas appellare non debet non servato prius in ducatu processu iuris consueto.

Item ut palatinus vicegerens regius in isto ducatu, castellani, omnes iudices, subiudices, succamerarii, notarii terrestres et alii officiales istius ducatus sint semper bene possessionati iure hereditario et ex subditis istius ducatus et qui capitali residentia in isto ducatu residerent, iuxta consuetudinem antiquam istius terrae et privilegia terrestria, exceptis solis capitaneis, quos regia Maiestas pro suo ipsis arbitrio constituet, et capitaneatus officia quibus voluerit, conferet, etiam illis, qui alibi in regno suae Maiestatis extra ducatum Masoviae residerent, dummodo in illo essent possessionati.

Item inscriptiones perpetuitatum universae nobilitatis et omnium subditorum ducatus nostri Masoviae in librum terrestrem inscribi debent, etiam per resignationem, non tamen per lapsus non requisito consensu nostro, quoad praeteritas et futuras resignationes et inscriptiones, neque a talibus inscriptionibus et rescriptis plus solvi debet, quam iuxta consuetudinem antiquam, et similiter a privilegiis Maiestatis nostrae una sexagena tantum, a litteris vero mediocris sigilli duodecim grossi in cancellaria nostra regia solventur.

Item nobiles universi, kmethones et alii subditi nostri in ducatu Masoviae habebunt fora libera absque exactionibus et solutionibus inconsuetis in omnibus civitatibus et oppidis eiusdem ducatus merces suas et res omnes, cuiuscunque generis et speciei existant, vendendi et alias emendi absque omni impedimento capitaneorum et officialium illorum locorum et solutione atque exactione inconsueta.

Item capitanei et eorum vicesgerentes unicuique respondere debent pro iniuriis factis et obiectis, pro quibus fuerint iudicialiter tracti et convicti coram magnifico palatino Masoviae aut vicesgerente nostro et consiliariis ducatus Masoviae.

Item homines ex regno Poloniae kmethones profugos ex Masovia dominis eorum iure mediante restituere absque omni difficultate tenebuntur et e contra secundum iuris formam et consuetudinem, similiter etiam et de villis regalibus nostris et oppidis.

Item ut liber esset transitus in Gdanum per Vislam, quemadmodum omnibus spiritualibus et saecularibus regni, ita et universis nobilibus et spiritualibus istius ducatus cum frumentis et aliis rebus eorum proprii laboris, absque omni impedimento et aresto Thoruniensium et teloneorum in teloneis regalibus, exceptis teloneis nobilium, qui iura et privilegia ad ea ipsa telonea habent et in eorum pacifica possessione et usu sunt et hactenus fuerunt; hi tamen nobiles iura et privilegia ad ipsa telonea habentes non debebunt alicuius ecclesiasticae vel militaris personae frumenta et alias quascunque res proprii eorum laboris struibus et scaphis et aliis huiusmodi eorum navigis impositas et versus Gdanum demissas apud se continere seu arestare, sed liberam navigationem et demissionem earundem rerum unicuique ex praedictis duobus ordinibus spirituali et militari permittent et permettere tenebuntur absque ulla exactione telonei et quovis impedimento.

Item vicesgerens noster in illo ducatu habebit a nobis plenam facultatem cum consiliariis ipsius ducatus unicuique iustitiam administrare, maleficos punire, iudicare secundum consuetudinem eiusdem terrae ac etiam eos nobiles, qui habent iura in terminis communibus non comparendi, solum coram praesentia principis, habebit iudicandi potestatem cum eisdem consiliariis, dum fuerint citati ad instantiam cuiuscumque pro quibuscumque causis et controversiis ad praesentiam eiusdem nostri vicesgerentis et consiliariorum iuxta formam et consuetudinem iuris antiquam.

Item dietae et iudicia antiqua inter ducatus Lithuaniae, Prussiae et Masoviae in locis solitis pro omnibus iniuriis et violentiis subditorum ex utraque parte fieri debent de cetero et innovari iuxta antiquam consuetudinem et recessus terrestres.

Item cortisani et clerici quicumque iura patronatus hominum spiritualium, saecularium et nobilium in ipso ducatu Masoviae quovis modo turbare et inquietare in eorum collationibus et beneficiis non audeant neque praesumant.

Item totam nobilitatem et subditos omnes istius ducatus Masoviae in his omnibus iuribus, privilegiis, consuetudinibus, libertatibus, statutis, articulis, praerogativis universis conservabimus, manutenebimus et defendemus successoresque nostri reges Poloniae conservabunt, manutenebunt et defendant perpetuo et in aeum.

Item iudicis et subiudicis, similiter et notariorum terrestrium debet esse electio per nobilitatem et consiliarios ducatus Masoviae iuxta observantiam terrarum regni. Procuratio tamen bonorum nostrorum in eodem ducatu erit ad arbitrium nostrum his vel aliis notariis, quibuscumque eam committere, voluerimus.

Item consentimus, ut iste ducatus adiungatur et adhaereat sicut aliae terrae terris Maioris Poloniae, quando praesertim et tempore ducum duces ipsi erant cum terris Maioris Poloniae tempore belli, nec ob aliam causam terra Vismensis sit adiuncta ipsis terris Maioris Poloniae.

Item habere volumus semper benignam rationem pauperis nobilitatis, ut deinceps contribuant non a capitibus, prout ante solvebant, sed de agris, quos et quantum aliquis eorum possidet.

Quos quidem articulos per praefatos consiliarios et nuntios terrarum in praefato conventu Varsschoviensi susceptos et cum diligentia et maturo consilio ad longum discussos et approbatos ac omnia et singula in eis contenta in toto eorum tenore approbanda, ratificanda et confirmanda duximus approbamusque, ratificamus et confirmamus ac robur debitae firmitatis perpetuum habere decernimus tenore praesentium mediante. In quorum omnium supra expressorum fidem et testimonium praesentes litteras sigillo nostro regio communiri iussimus, ad praemissa omnia denuo consentientibus universis consiliariis regni nostri status utriusque et omnibus terrarum nuntiis, quorum etiam sigilla pro maiori parte, ut comprehendendi potuerunt, sunt appensa. Acta sunt haec in conventu generali Pyotrkoviensi feria secunda festi sancti Ioannis apostoli et evangelistae, quae fuit dies vicesima septima mensis Decembris anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo nono, regni vero nostri vigesimo tertio. Praesentibus reverendissimo ac reverendis in Christo patribus dominis Ioanne de Lassko archiepiscopo Gneznensi, legato nato et primate, Petro de Thomice Cracoviensi ac regni nostri vicecancellario, Mathia de Drzevicza Wladislaviensi, Ioanne de Lathalicze Posnaniensi, Andrea de Crziczko Ploczensi et Ioanne de Carncow Premisiensi episcopis, nec non magnificis venerabilibus et generosis Cristophero de Schidlovycz, castellano et capitaneo Cracoviensi generali et regni nostri cancellario ac Siradiensi, Gosthinensi, Sochaczoviensi, Novae Civitatis Corcin et Lukoviensi capitaneo, Andrea de Thanczijn Cracoviensi ac Belzensi, Chelmensi, Rathnensi et Crasnosthavensi capitaneo, Stanislao de Cosczielecz Poznaniensi ac Marienburgensi, Bijdgostiensi, Stumensi capitaneo, Otta de Chodecz Sandomiriensi ac Leopoliensi, Halicensi, Colomiensi capitaneo, Nicolao de Kosczielec Calissiensi ac Bresthensi capitaneo, Ioanne Jaranth de Brudzewo Lanciciensi, Andrea de Oporow Brzesthensi, Ioanne de Oporow Iuniwladislaviensi, Ioanne comite de Tarnow Russiae generali et exercituum regni nostri supremo campiductore ac Sandomiriensi capitaneo, Martino de Camieniecz Podoliae, Ioanne Bochotniczky de Olesnicza Lublinensi, Laurencio Prasmowsky Masoviae pallatinis, Nicolao de Schydloviecz Sandomiriensi et regni nostri thesaurario ac Radomiensi, Zatoriensi, Oswiancimensi, Krzepiczensi, Olstinensi, Grodecensi capitaneo, Stanislao Thomiczky Calischiensi ac Pisdrensi et Coninensi capitaneo, Petro Kmitha de Visnicze Voynicensi, marsalco regni nostri ac Scopuziensi, Przemysliensi et Colensi capitaneo, Ioanne Cosczieleczyk Lanciciensi ac Thucholiensi capitaneo, Petro de Slusewo Iuniwladislaviensi, Ianussio Lathalskij Gneznensi et capitaneo Iuniwladislaviensi, Ioanne de Thanczyn Lublinensi, marsalco curiae nostrarie, Stanislao de Sprowa Bięczensi et capitaneo Opocznensi, Adamo de [...]^a Ponicensi, [...]^b Inowlodensi, Ioanne de Vieczwna Plocensi et capitaneo Brathionensi, Felice Srenski Dobrzinensi et capitaneo Ploczensi, Petro de Dambrovicza Chelmensi, castellanis, Ioanne Choienski praeposito Poznaniensi et archidiacono Cracoviensi, Bernardo Vapowsky cantore Cracoviensi, Ioanne Gorski archidiacono Poznaniensi, Nicolao Zamosczky praeposito Tarnoviensi, canonico Cracoviensi, secretarii nostris, Ioanne Sborowski pincerna, Ioanne Tharlo incisore regni nostri, et aliis quam plurimis dignitariis et officialibus nostris testibus ad praemissa, fide dignis sincere devotis et fidelibus nobis dilectis. Datum per manus praefati reverendi in Christo patris domini Petri de Thomicze episcopi Cracoviensis et regni nostri vicecancellarii sincere nobis dilecti. Relatio reverendi in Christo patris domini Petri de Thomicze episcopi Cracoviensis et Regni Poloniae vicecancellarii. Petrus episcopus et vicecancellarius subscriptis.

^a Luka w rękopisie z powodu zniszczenia karty. ^b Luka w rękopisie z powodu zniszczenia karty.